

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

LIX. Ex Argum. Historicis Var.

urn:nbn:de:bsz:31-102564

de non plures, quam unus et quingvagina essent, et in posterum constituerentur. Solemnia in Comitibus Bruxellensibus perfecta sunt, anno supra millesimum quingentesimum sexto decimo, quo adolevit in spem publicam, et in Belgio Hispaniaque magnitudinem potentiae fundavit: postea constitutis Imperii rebus, et spatio gloriae domi forisque confecto, Philippum II. heredem, atque in regnis, extra Imperium acquisitis, et in Belgio successorem, caput Ordini imposuit, et iure suo, ac summo eius magistratu se abdicavit, his verbis, ad immortalem posteritatis memoriam egregius, filium allocutus. *Accipe Filii mi, quem e collo meo detraho, tibi praecipuum Aurei Velleris Torquem, quem Philippus Dux Burgundiae cognomine Bonus, Atavus noster, monumentum fidei S. R. E. esse voluit, et huiusce institutionis, ac legum fac semper memineris. Apud Iustinianum ed. Venet. p. 732. Seriem et insignia torquatorum Equitum Antverpiae edidit Io. Iac. Chiffletius, diligentia, et doctrinae copia clarus. Cuius Ordinis patrocinium ut debetur Austria, sic indicio est iuris, quod Austria Hispaniaque in ducatum Burgundiae habet, et legitimam adeo successionem in eo sibi vindicat, eiusque ratione principatum Ordinis obtinet, et insignia quoque gentilitia ac titulum recte et constanter usurpat, ac idoneo civilis possessionis argumento usque ad hodiernum diem tuerur, hoc magis, quod ducatus ille suo, et vero iure aestimatus, rationes a regno Galliae diversas habet, et legi Salicae, praesertim in successionis capite, ubi ne feminas quidem excludit, prorsus adversatur.*

LIX. EX ARGVM. HISTORICIS VAR.



Nullis antiquae Graeciae monumentis proditi sunt Boii, neque belli societatem cum Graecis habuerunt, multo minus cum Atheniensibus contra Xerxem dimicarunt.

§. II. Memorantur equidem in epistolis, quae Themistocli tribuuntur, sed eae iamdudum suspectae sunt, et vel hoc argumento recentiores esse intelliguntur.

§. III. Leo Allatius in *dialogo de scriptis Socratis* aliorum iudicio relinquit, quid de illis, quas nominavi, epistolis sentiendum sit: sed ego minime dubito, confictas esse ab aliquo vitae morumque Themistoclis gnaro, et cum primis in Herodoti et Thucididis, ac Diodori atque Plutarchi lectione versato.

§. IV. Boii primo omnium in Italia auditi sunt, quorum Plutarchus meminit auctoritate Simuli, sed huius Poetae fidem ipse statim convellit, in *vita Romuli. Conf. Marcus Velleus lib. 1. rerum Boicarum.*

§. V.

§. V. Inter eas ceteroquin epistolas, quae Themistocli adscribuntur, extat quaequam argutior, et sopherarum acumine non aliena, in *volumine epistolarum Graecarum, quas edidit Pyr. Calderaeus p. 406.* At vero praeterquam quod huius Epistolae auctor alius est a Themistocle Atheniensium duce, interpretatio quoque eius non satis est castigata, quae communiter Iacobi Cuiacii nomine venditur. Verum ego potissimum Hueticus credo, qui Cuiacium Graece doctissimum iure vindicat, auctoremque vulgi iudicio damnatum absoluit, *de claris interpretibus p. 159. edit. Paris.*

§. VI. Satis autem se produnt epistolae Themistoclis e bibliotheca Ehingeriana erutae partim indicio styli et verborum singularium, partim novitate titulorum, quos aetas sane Themistoclea ignorabat. Ne id nunc addam, quod perperam ibi scribantur Βοιοι, qui Βοιοι scribendi erant, ut ex Polybio et Plutarcho idoneis auctoribus constat.

§. VII. Quod apud Graecos, idem apud Romanos evenisse comperitum est, dum vocabula quaedam serius recepta morem seculi, usumque scriptorum ostendunt. Tuscos dicebant Romani, Livius, Plinius, aliique monumentorum conditores: Tusciam in neutro eorum inveniamus, imo nec in scriptoribus aliis, qui tempora Constantini M. praecesserunt, Vid. *auctor observat. ad antiq. Etruscas cap. IV.*

§. VIII. Similem in modum de sequiori tempore pronuntiandum est, cuius diversa loquendi ratio singulis fere seculis tenuit, et locupletissimi eius rei testes extiterunt. Cum enim a barbarie mores sensim expurgarentur, et ope Francorum literae atque religio passim apud Germanos incrementa caperent, iamque apud eos fama de CVRONIS nostris increbesceret, scriptores eorum non regionis, sed gentis nomine hanc terram designare consueverunt. Ut auctor est *Rembertus Flander Carolingici scriptor aevi, in vita S. Ansharii cap. XXVII.*

§. IX. Qua in re saepe erroribus se impediunt recentiores, qui lectis populorum nominibus, statim vocabula regionum ex ingenio comminiscuntur ita Cimbriam auctore Plutarcho appellatam esse Germaniam existimat, Felix Fabri, *hist. Svecor. lib. I. c. 9.* Id vero nusquam scripsit Plutarchus, qui de Cimbris agit in *Mario*, et κίμβρης extulit, quos imprudens ille monachus *Cymbros* signavit. Cimbrica Chersonesus apud idoneos scriptores est, et Cimbri, magnae Germaniae portio memorantur: Cimbriae autem nomen, universa Germania nullo, et ne Mariano quidem seculo suscepit.

§. X. Non excusandi sunt, qui codicibus nova gentium nomina inferunt, et incerta pro evidentibus, ac falsa pro veris obtrudunt, Nuper *Eusthatius Schvartzius* ex Alcuini Hibernia *Scotiberniam* effinxit, *annal. lib. III. c. 12.* Non aliter, atque imperiti originum *Hunnivares* dicunt, et exinde *Hunga-*

ros conflant. Iidem sunt Hunni, qui Auares, et inepta censerī debet compositio, quae non modo arti, sed quoque historiae repugnat. Pariter Scoti et Hiberni in unam vocem coalescere non possunt: vel enim considerantur, quatenus sunt diversi populi, vel quatenus interdum paria faciunt, et Scoti iidem, qui Hiberni dicuntur. Alterum prohibet ratio a pugnantibus ducta, alterum non patitur lex artis. Neque vel uno testimonio fidem faciat Svar-tius, Scythiberniam ab ullo scriptore, unquam fuisse appellatam. Nec regula metri Alcuiniani obtendi potest, quam illorum temporum scriptores saepissime neglexerunt.

§. XI. Ita multi velut in licentia facile sibi indulgent, et quodam emendandi impetu abripiuntur. Nihil vero hic pronuntiabo de iis, qui Senecae Poetae *Scotobrigantes* ex castigata Iosephi Scaligeri lectione dicuntur, de quibus vid. *Georgius Buchananus libro II. rerum Scoticarum*. Tantum de Sardonio Apollinare addo, eum multa aetati sequiori propria adhibuisse, inter quae est titulus, *Domine maior*, quem tamen ex L. Annaeo Seneca reddere explicatum vult Schvartius: contra ego Savaroni assentior, qui artis et historiae characteres feliciori opera coniunxit.

§. XII. Plura mihi in media et inclinata aetate occurrunt, quorum aliqua cursum attingere iuvabit. Ordiam a Radulpho, et simul castigabo errores confundentium Radulphum Anglorum cum Radulpho Francorum, quorum prior vixit floruitque XII. post S. N. C. alter XIV. claruit, quos multi non recte fecernunt, temporumque rationes conturbant, et in probandis rerum eventis immane quantum falluntur. In quo genere sibi non constat Petrus Megerlinus, qui nuper admodum in *cap. XIII. commentarii Chronologici* Radulphum Flaviacensem in sec. X. reiecit, atque ex eo momentum probationis sumpsit, ubi nihil de re, quam probare instituit, reperitur.

§. XIII. Saepe hoc usu venit credulis, ut approbent, quae explorata non habent, quo fit, ut rerum causae non modo obscurae et ambiguae, sed interdum quoque fabulosae et falsae adferantur. Hinc ineptiae aniles, absurdae opiniones historiam, in primis Germanicam oppleverunt: hinc fabulae Romanenses plerumque exortae sunt, quarum pleni sunt libri. Prisca Germanorum carmina Tacito celebrata multis sane incautis chronicorum scriptoribus materiam scribendi refertissimam dederunt. Pauci annales pondus habent, nec ludi equestres a Rixnero descripti argumento historiae sufficiunt, quibus nimium innixus est *Gabriel Bucelinus*, monachus doctus et legendo diligens, sed in discernendo minus aliquando accuratus. De fabulis Romanensibus erudite scripsit Petrus Daniel Huetius, sed de iis, quae ad Germanos, Cimbros, Gothos, Sarmatasque permanarunt, nihil sigillatim recensuit, quarum tamen magnam ibi copiam licet invenire. Quare ad fidem histo-

historiae faciendam non suspecta monumenta adhibenda sunt, quae in tabulis atque instrumentis veterum *fundationum*, *traditionum* et *donationum*, *collationum* et *dotationum*, *concessionum* illustrium, atque *infeudationum advocatiae* et *hyarandiae*, quae publica auctoritate fulciuntur.

§. XIV. Genera vestium *rhenones* dicta, Germanis antiquissimis usitata, ex pellibus constabant, quorum mentio est apud *Caesarem VI. 12. de bello Gall. et Sallust. in fragmento, quod Isidorus asservavit.* Caesaris paraphraestes Graecus *ζών δέγματα* interpretatur.

§. XV. Longe diversae erant circumcellionum vestes, quae forma et coloris similitudine referebant, Hispanorum tunicas, quae *armilausas* dicebantur, de quibus videantur *Scholiasτες Iuvenalis, Paulinus Nolanus, Isidorus, Philippus Rubens, et Dufresnius.* Quibus vestimentis quondam utebantur vagi et superstitiosi homines, qui religione obtentui sumta has finitimasque regiones obierunt. Sed eos e tota dioecesi sua eiecit Misnensium Antistes, lordesque hominum expurgavit, apud *Georgium Fabricium annal. urb. Misnae ann. M C C L X.*

§. XVI. Apud Sarmatas cultus victusque simplicitas fuit, quos pellitos fuisse non inficior, et Germanorum in eo similes extitisse, libens concedo. De pulce Sarmatarum, et farina lacte eorum mixta *vid. Plinius lib. XIII. H. N. c. 10.* Quod Strabo dixit de Scythis, ab Sarmatarum populo diversis, *Geograph. lib. VII.* Plinio assentitur Martialis, et indicat, Sarmatas fuisse *γαλακτοφάγους* in *Epigrammate III.* quod illius Poetae est citra omnem dubitationem, etsi non immerito de aliis dubitat Ianus Rutgerfius, quod plerasque res a Domitiani imperio seiunctas, et diverso tempore gestas complectuntur, *lib. V. Var. cap. 15.* Id, opinor, fugiebat Theodorum Marcilium, qui in eruditis ad haec epigrammata annotationibus censuram omisit.

§. XVII. Ritus plerique Graecorum in Sarmatiam immigrarunt, et a Spartanis quoque in Lithuaniam et CVRONIAM transmissi, non obscura moris illorum vestigia reliquerunt: *Io. Lactius, de Diis Samagitarum et Sarmatarum, p. 56.* Errat autem, quisquis tali indicio putat et colligit, CVRONOS pariter et ceteros Sarmatas ex Graecis per Lavanum descendisse, atque has circumiectasque terras Graecorum coloniis frequentatas et excultas fuisse.

§. XVIII. Tributa istarum gentium potius necessitas, quam ratio definita, sed apud Christianos erat collationis genus, quod barbaris quoque indignum videbatur. Id describit Evagrius, et nominat *ἐλεεινὸν καὶ θεομισέες, καὶ βαρβάρων αὐτῶν ἀνάξιον, lib. III. E. H. c. 39.* Libanius sophista improbe exigi subindicat, quum intolerabile, vocat, et pro laetitia hororem afferre tradit, si quinquennialia redeant, festaque habeantur, in oratione XIV. qua in Florentium declamat. Hinc *πεντηετής* audiant, non quod quinto quoque anno

exacto, sed ineunte celebratae sunt, unde tributum hoc multo gravissimum *τετραετηρικόν* est appellatum. *Zosimus lib. II. cap. 36.* Postea Anastasius Imp. iusta et aequa ratione ductus, abrogavit, *Evagr. d. l.*

§. XIX. Controversiae Sarmatarum veterum non iudicio, sed armis dirimebantur, quae consuetudo diu in occidente tenuit, et apud Germanos invaluit, et simplicitate moris tolerata, Deo eventum moderante, reos plerumque rudibus seculis detexit. *V. Alexander Goagninus in Sarmatarum deductione: Hugo Grotius I. B. et P.*

§. XX. Belli instrumentum continebat arcum, frameam et lanceam: pro scuto et galeis ferarum exuvias fuisse sumtas, colligi potest ex simplici apparatu gentis, et similitudine Germanorum, de quibus et sigillatim de Cimbris *Plutarchus in Mario tradit. De Graecis et maxime de Arcadibus affirmat etiam Pausanias lib. IV. in Messeniis.*

§. XXI. Principes suos non cernui et sine adulatione servili colebant: molles contra Asiae populi Regnum pedibus advoluti, honore fungebantur: id vero imperio Sarmatarum non congruit, qui libertate moris, erectos et dignos bellicosa gente animos pace belloque comprobarunt. Quare se non abiecerunt, ut *περοσκυνῆντες*, quos describit *Apollonius apud Philostratum lib. VII. cap. 6. ed. Morell.* Horum Reges adorantium mores scite depinxit miles gloriosus *apud Athenaeum, deipnosoph. lib. ult. p. 696. edit. Casaubon.* *Lucianus* festive introducit *Timonem* pro conditione superioris fortunae loquentem, et tunc velut regio more cultum se fuisse gloriantem ubi perquam significanter coniungit vocabula *ὑποπήσσαντες καὶ περοσκυνῆντες*. Nam *ὑποπήσσειν* denotat venerationem cum metu coniunctam, qua significatione *Xenophon* de Cyri aequalibus. *ὑπέπησον οἱ ἥλικες αὐτῷ. Cyri paed. I.* Verbum istud poeticum esse arbitratur *Aemilius Portus*, quod tamen veteres et recentiores *περοσκυνῆντες* usurpant.

§. XXII. Artem canendi non omiserim, quippe quam non modo Graeci, sed etiam barbari in pretio habuere. Hoc prodit *Athenaeus*, et simul de Getis ex deperdita *Theopompi* historia affirmat, eorum legatos huius artis non fuisse imperitos, chitarasque pulsasse, *Deipnosoph. lib. XIV.* Non vero sum nescius, plerosque scriptores Getas cum Sarmatis confudisse, neque tamen inficior, plus militiae, quam musicae artem apud Sarmatas valuisse. Sed ea permultum quoque attulit ad ciendos et sedandos Sarmatarum affectus, quam vim ad movendum peraptam agnoscit antiquissimus Iliadis conditor *Homerus*, et post hunc multi alii, inprimis *Deipnosophistarum* scriptor libro iam citato. Venit hic in mentem cithara *Davidis*, de qua differit *Io. Dougtheius*, allatoque *Martiani Capellae* testimonio, vires musicae commendat, in *annal. sacr. excurs. LXXIX.* Opportune in hanc sententiam citare potuisset *insignem Tamblichi locum*

cum de vita Pythagora cap. XXXIV. ex editione Ioannis Arcerii. Capella est aetatis inclinatae et inglorius incomtusque scriptor, styli barbarie, et allegoriae absurditate facile inter alios noscendus, quem Hugo Grotius adolescens, svafore Iosepho Scaligero, castigatum emisit.

§. XXIII. Religio ritusque Christianorum non uno atque eodem tempore apud Sarmatas coeperunt, et Boiemi Moravique et Poloni ante alios ab impietate et idolorum cultu recesserunt. Difficiles obstinati que inter ceteros Curoni fuere, et sacra vel non amplexi sunt, vel non diu retinuerunt. Primo omnium ecclesia ab Anshario ibi condita, mox foedis superstitionibus oppressa est: deinde aevo Adami Bremensis iterum lux verbi divini affulsit, quam aliquanto post caligo rursus obtexit: hinc Livonorum, quos Meinhardus docuit, consuetudo commerciumque Curonis profuit, neque vero sic universus statim populus meliori doctrina imbutus est, sed sensim paulatimque alii post alios Christo nomen dederunt. V. *Adamus Bremensis de situ Daniae cap. 223. Arnoldus Lubecensis Chron. Slavor. lib. VII. cap. 8. Alb. Cranzius Vandal. lib. VI. cap. 9. et 10.* Per id tempus enim inter Livonos et Curonos arctior societas atque communicatio religioni propagandae serviebat. Plurimi tamen in superstitione obfirmati, aegre tandem, fracta animorum ferocia, sacrorum praesides admiserunt. *Petrus de Dusburg Equitum Ord. Teutonici sacerdos et historicus memorat, castrum apud Curonos extractum, summe necessarium fuisse ad incrementum fidei Christianae, Chron. Proff. part. III. cap. 80.* Quod indicio est, omnes tunc pristinam barbariem cum more Christiano et mansuetudine commutasse. Exinde rebus eorum inclinatis, ferocia fracta, et episcopatus Curoniae institutus fuit. Perperam A. Miraeus Curiam V. E. interpretatur *Gerlandam, Notit. Episcop. lib. V.* Nunquam ista Curoniae dioecesis attributa est metropoli Sveonum, nec ita paruit, ut in eorum provinciam redigeretur. Esthones Svedorum regno attributos esse legimus *apud Saxonem Grammaticum lib. I. conf. Iacobus Sirmundus ad Alexandri III. epist. XX.* Curonia neque in provinciam, neque in dioecesin transmarini regni descripta est, Esthonia saltem metropolin illius non agnovit. Et Dani quidem antehac ius Esthonibus praescripserunt, ut affirmat *Io. Is. Pontast. Dan. lib. VII.* Sed Curoni his legibus non adstricti sunt neque universi a quoquam subigi potuerunt. Haud sibi constat *Michael Antonius Baudrand*, dum Curonensem episcopatum inter *suffraganeos* omittit, et alibi velut sibi oblitus alicui de eo ingerit, neque sic tamen plane et distincte hoc negotium tractat.

§. XXIV. Mirum dictu, Prussis Livonisque, et ipsis adeo Curonis, religionis Christianae expertibus placuisse unius, velut sacrorum principis regimen, illiusque ad nudum omnes fuisse intentos, et quendam *Crivve* dictum Pontificis instar coluisse. In hanc sententiam scribit *Dusburgius Chron. Pruss. part. III. cap. 5.* Ritus Ceremoniamque huius venerationis sigillatim non exprimit,

primit, neque explicat, utrum erecti, an prostrati sacrum fecerint: multo minus de more osculandi idola quidquam subiungit: stellas, tonitrua, feras, quae ibi pro Diis erant, nemo osculatur.

§. XXV. Non his immorabor, nisi quod de more osculandi pedes aliquid annectam. Primus servilis ceremoniae inventor apud Romanos fuit, Caligula, quod referre contentus, in dubio relinquit *Antonius Borremans in libro var. lection. cap. XX.* Quod silent quidem historiae augustae scriptores, Seneca tamen illis temporibus proximus affirmat, Gaium Augusto aevo sinistram pedem Pompeio Penno osculandum praebuisse. *lib. II. de benef. cap. 12.* Tranquillus non expresse, sed indicio affectatae a Gasio divinitatis subscribere videtur, *in Calig. cap. 22.* Pomponii Laeti testimonium recentius est, quod affert Polydorus Vergilius *de invent. rer. lib. IV. cap. 13.* Illi Diocletianum subiungit, antequem Maximinus iunior nominari debuit, cuius in salutationibus, et spectatum in genibus, et nonnunquam pedibus osculandis superbiam annotavit *Capitolinus in Maximino iun.* Diocletianus adorari se iussit, ut Victor et Eutropius tradunt. Cum vero adorationis iste honor plerumque cum osculo pedum coniunctus sit, tum Polydorus affirmavit, Diocletianum edicto sanxisse, ut homines prostrati pedes sibi exoscularentur. Quod is tamen expresse non sanxit, nisi ratione a calceamentis ducta colligatur: alioquin nihil prohibet, quo minus illa ceremonia etiam sine pedum osculo perfungi potuerint. Nam qui ad pedes se abiiciendo Augustum adorarunt, iussu obtemperasse intelliguntur. Coniuncti quidem saepe isti ritus sunt, et simul quoque venerationem augent, sed nihilominus per se distincti sunt, et recte secernuntur. Possunt cernui adorare, qui non continuo pedes exosculantur: tum de gemmis constat, etiam vestibus Augusti fuisse inditas, quas tamen nemo exosculatus dicitur: neque ad eas istud, quod affertur, edictum de osculando pertinebat. Nec tamen valde repugno, si exemplum Caligulae et Maximini iunioris ad interpretandum Diocletiani edictum adhibeatur.

§. XXVI. Transeo ad res Ecclesiae, et argumenti huius occasione perquiro, undenam ritus osculandi pedes Pontificum Rom. deducatur. Non enim loabor de antiquissimo pacis osculo, quod Christianae communioni et aequalitati datum, pacisque signaculum dictum est, quo cum se exciperent, non prostrati in pedes, sed in charitatis concordiaeque foedus convenientes, se mutuo salutarunt, *Tertull. in lib. de Orat. cap. XIII. Desiderius Henaldus in lib. digress. III. Gabr. Albaspinacus lib. I. observ. 17.* Neque huius instituti est mos adgeniculantium, qui peccata confessuri, presbyteris adolvebantur, apud Tertullianum *in libro de poenitentia, Albaspin. not. ibidem cap. IIX. et XI.* Equidem poenitentes prostrati ante viduas, ante presbyteros, omnium vestigia lambere consueverunt, ut auctor est Tertullianus *in lib. de pudicitia:* id quod Baronius de ritu osculandi pedes

des sacerdotum, certo certius ipsius Pontificis interpretatur, *annal. Eccles. Tom. II. ann. 216.*

§. XXVII. Sed ne utquam subiectionis causa ad pedes sacerdotum se abiecerunt, neque tantum ad eorum, sed etiam ad omnium fidelium genua isti poenitentes procliderunt. Aperta sunt Presbyteri Carthaginensis verba, et ipsa se explicant, et nihil minus admittunt, quam Pontificem Romanum, cuius sacram tyrannidem illa Tertulliani aetas prorsus ignorabat. Quare ab instituto huius temporis abhorret *confessio auricularis*, quam Bellarminus hinc arcessit, cuius sane auctor et parens fuit Innocentius III. *Vid. Io. Dallyaenus de Confess. lib. II. c. 17.*

§. XXVIII. Alii ritum hunc ab aeo Hieronymi repetunt et pedes Episcoporum osculo exceptos, vel praecipua Stridonensis auctoritate confirmant, atque adeo recentius esse institutum fatentur. *Antonius Bellotte presbyter Canonicus in observ. ad ritus eccl. Laudun. p. 104.* Vtique Hieronymus tria osculorum genera recensuit, alia *capitis*, in libro II. adversus Iovinianum: alia *manuum*, in ep. XCVIII. ad Augustinum, ubi ait: *osculabantur mihi manus quidam.* Innuit venerationis causa sibi ut presbytero honorem eum esse habitum, etsi os animumque osculantium subdolum ibidem perstringit, morem tamen satis declarat, et in apologia adversus Ruffinum dicit: *qui adorant, solent deosculari manum: alia pedum*, de quibus in praefens ago. Expresse Hieronymus meminit *turbae*, pedes (Epiphanius episcopi) *deosculantis*, in ep. LXXI. ad Pammachium adversus errores Ioannis Hierosolimitani. Interdum haec *adgeniculatio* per epistolam facta est, quo pacto Epiphanius Ioannis Episcopi genibus advolutus, re ipsa se non profstravit, sed ab eo longe abfuit, reverenter ceteroqui et submisit, scriptis ad ipsum literis, precatus est, errores et placita Origenis missa faceret ac improbaret, in epistola iam laudata. Symmachus fere stylium Tertulliani sequitur, et quod hic *labere*, ille *adorare vestigia* dixit. Corippus eleganter in libro III. in laudem Iustini Augusti minoris.

ter poplite flexo

Pronus adoravit, terraeque adfixus inhaesit.

Quo auctore conficimus, ceremoniam adorandi non semper cum osculo pedum fuisse coniunctam, et saepe tantum genu inflexo, capiteque in terram demisso, peragi consuevisse.

§. XXIX. Fuit autem hic ritus venerationis plenus, et promanavit ex more Orientalium, atque a Regum folio ad ecclesiae praesules studio et reverentia sacri nominis traductus, et postea a Pontificibus Romanis titulo *primatus oecumenici*, inclusis Episcopis, affectatus, ac regibus opinione *hieromonarchiae* deceptis, paulatim impetratus, et ex capite Romanae sedis vindicatus est, quasi ei soli iure quodam proprio conveniret. Notanda hic sunt occasio, praetextus, causa vera, consuetudo per aliquot actus saltem opinione *iseguovae x x*

Q9999

MEVOT

μένων valida, intervallum constituti primatus oecumenici, et pleni (*de facto*) in ecclesia dominatus, atque hinc ex debito asserti huius ritus, ac simul deminutione episcoporum auctoritatis, et aristocratici in monarchicum versi regiminis, introductique moris provocandi Romam, et visita limina Apostolorum, ac recepti in titulum vicariatus. Quin et instituenda comparatio cum ceremonia concessionis pallii, atque exinde ducto confirmationis iure, sine quibus tota haec res accurate non perquiretur.

§. XXX. Communiter exemplum Iustiniani Rhinotmeti adferunt, atque his accedit Caesar Baronius, et audacter scribit, Augustum se prostravisse, pedesque Pontificis (*Constantini*) osculatum fuisse, *annal. eccles. tom. IIX. ann. 710.* Non dissentit Io. Baptista Casalius, ac Baronii vestigia sequitur, et fabulosa *Susannae acta*, et fabulatorem Antonium adducit et laudat, quorum nulla auctoritas, et nulla, vel dubia est fides, *de Vet. Sacr. Christ. ritibus cap. I. XXXI.* De Iustiniano affirmat Ant. Borremansius Belga, et tradit, Augustum a *Constantini Papae pedibus oscula fixisse, libri iam cit. cap. XX.* At primo Iustinianum magnum cum Rhinotmeto huius nominis II. confundit, illiusque contra seriem temporum cum Pontifice Constantino componit. Deinde nullos sententiae auctores idoneos nominat, quos apud Casaubonum invenire non potuit, eamque ob causam promissi fidem prope ab ipso indicatos, quando constat, multos *Adversariorum tomos MSP.* ab eo confectos esse.

§. XXXI. Graeci Imperatores magnum sane momentum in eo ponebant, ut omnes salutatum venientes, prostratis in terram corporibus, pedes oscularentur. Id de Iustiniano I. refert Procopius, ad quem nemo admissus est, quin procideret in faciem, et utrumque Augusti pedem osculo honoraret. *Ἐπιπτον εἰς τὸ ἔδαφος, καὶ τῶν χειλέων ποδὸς ἐκατέρω ἀψάμενοι ἐξέβρισαντο.* Verto. *Prociderebant in pavementum, et osculo pedem utrumque contingentes exurgebant, hist. arcen. p. 133. ed. Nic. Alemanni.* Eodem modo functi sunt homines sacri ordinis, et ipse Romanus Episcopus Agapetus I. qui publica ad Augustum epistola factus est, se dignum fuisse habitum perfunctione ritus osculandi vestigia pedum. Corippus idem illud confirmat, et Senatam oscula dedisse Iustini Augusti pedibus testatur, *lib. I. de Iustino minore.*

§. XXXII. Baronius vero pro Agapeto annititur, et more suo scriptores laudat, quos vel sequior aetas, vel studium in sedem Romanam suspectos reddidit, *annal. Eccles. tom. VII. ann. 536.* Non congruit Iustiniani ingenio, quod tradit corruptus depravatusque Anastasius, Imperatorem in capite prostratum, pedes Pontificis osculatum fuisse, *de vit. Pontif. in Constantino.* Paulus Diaconus refert, quod Iustinianus II. prostratus in terram rogarit Constantinum Papam, ut pro suis peccatis intercederet, *lib. VI. cap. 31.* Tacent id Graeci scriptores, nec Latini de osculo pedum quidquam affirmant. Sed mendosus Anastasius histo-

historiam Patli narratione sua auxit, et in eandem sententiam pleraque de Pipino et Carolo M. attexuit, quae in veris et antiqvis Francorum annalibus non reperiuntur. Demus autem, Rhinotmetum in terram se proiicientem, pedibus Constantini Pont. osculum dedisse, non tamen id eo factum, ut summum eius principatum agnosceret, sed ut non fucatum cum ecclesia consensum, spemque pariter et fiduciam salutarem Pontifici, tanquam sacerdotum (iure humano) *primati*, citra ullum subiectionis argumentum, testaretur. *V. Marcus Antonius de Dominis de Rep. Eccles. lib. V. cap. 10. §. 5.*

LX. TEMERATA ANTIQVIT. ECCLESIAST.

Totam Christi Oeconomiam, unde historia N. T. ducitur, summam ac religiose descripsit Ignatius in Epistola ad Trallianos, quae vera germanaque est, et ab Eusebio recensetur. *H. E. lib. III. c. 36.*

§. II. Cuius auctoritas quidem ab aliis, vel eo quoque argumento firmatur, quod Christum ab inferis suscitatum in carne viderit, atque in hanc sententiam affertur Epistola ad Smyrneses, quae sane indubitatum huius Apostolici viri est monumentum.

§. III. Sed fama de Ignatio, Christum Servatorem manibus amplexo incerta, quin imo falsa est, et rationibus temporum adversatur, et menti Patris non congruit, atque ex rivulis potius Latinorum, quam ex fontibus Ignatianis derivatur.

§. IV. Tantum abest, ut *θεοφóεs* nomen nos de hac sententia dimoveat, ut quoque indicia suppetant, id non pertinere ad gestationem mortuumque externum. Quorsum spectat non aliena, nec imbecilla ratio, quam a vocabulo *πνευματοφóεs*, ab eodem similiter usurpato recte, et firmiter licet petamus.

§. V. Tum vero ad hanc oeconomiam indicem digitum intendit Ignatius, quum *σταυρόν*, id est CRUCEM veneratione prosequitur, non crucem ligneam innuens, sed rationem habens *οικονομίας δευτέρας*, quae usu quidem Patrum sic appellatur, ut a mysterio *οικονομίας πρώτης* congruenti, et strictiori notione discernatur.

§. VI. Nam crucis, imaginumque cultus multo recentior, et ab Ignatiano aevo alienior fuit, et quarto primum post. C. N. seculo coepit.

§. VII. Equidem aetate Origenis ab usu et disciplina Apostolice *ΑΞΥΙ* sensim recessum est, sed post Constantini M. tempora paulatim superstitio